



ANN. XXII - N. 133

MM. MAJO et JUNIO

AN. D. MCMLII

Palaestra Exercitatoria

ASSUMPTA EST

Auditur vox de caelo quae praecipit Orco
solvi depressam sub tumulo viridi.
Terrea mirantur mandata dum ossa tremuntur
Virginis et digne tollitur alba caro.
Scinduntur nubes et cantica pertrahit aër
quae Mater celebrat Principis alma Dei.
Lucidam ad explendam vestem fulgore triumphi,
Regnatricis phebos cingitur Illa potens.
Luna canis stat de speculis ut pervigil alta
curans se Mariae ponere sub pedibus.
Puras discedit plantas e litore terrae,
et gratus festis aethera adimplet odor.
Humani cernunt visus ad sidera lumen
quo sua circumdat tempora Virgo Parens.
Vertice de nitido cirris pendentibus ejus,
solis et astrorum pallor in ore sedet.
Caelicolae raptant in palmis aëris icti,
donec onus ponant perleve sede Patris.
Raudo coepit in ascensu benedicere terram,
et mortale replet pectus amore suo.

AEMILIANUS BARRIENTOS, C. M. F.
Segedae.

POSTULANTIUM BARBASTRENSIUM LITTERAE

Dilectissimi Fratres in Corde Optimae Matris:

«Fausta Domini Natalicia atque prosperus annus novus». Haec est salutatio qua cives Hispani hoc tempore utimur. Hanc quoque salutem vobis, carissimi, impertio.

Jam pridem meas ad vos litteras dare exoptabam sed opportunam ad hoc occasionem non nanciscebar. Sed diebus Nativitatis Domini festis adventantibus, optime mihi vobis scribere visum est. Profecto neque Germanos neque Americanos neque Italos neque Lusitanos Postulantes agnosco; sufficit autem ut Cordis Mariae Filii simus ut fraterno amore invicem nos diligamus. Longo spatio quidem

interjecto, corpore sumus dissociati; sed spiritus similes gerimus, id est, Cordis Mariae Filios esse.

Septem et quadraginta Postulantes in Collegio sumus, sex et viginti V Cursus, ceteri IV Cursus, quisque vocatione sua contentissimus. Quo novo anno ineunte, illud vetustate tritum votum quod et dilectionis signum erga vos, fratres Germani, ex imo ominamur: «Annus novus faustus, felix vobis decurrat».

Plurimum in Domino ac Matre valete.

AEMILIUS PABLO, C. M. F., e V Cursus.

Barbastro, XII Calendas Januarias anni 1951.

Ordinarii ac Superiorum licentia

PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

Undenam vox pacis?

Nihil est tam populare quam pax, inquit Tullius (cfr. *Agr.* 2, 37, 100), et ipsum «nomen pacis dulce est et ipsa res salutaris» (Cic. *Phil.* 2, 44, 113). Quae una vox —ubique apud omnes gentes prolata— et civium singulorum et totius civitatis bonum, quod omnes summa appetunt contentione et studio, facile exprimit. Ac sicut in ea adipiscenda pace omnes enititur, sic et ipsum pacis nomen seu veriloquium inquirere et callere debemus.

Illud omnibus notum esse oportet Romanos olim colonos et agricolas fuisse; unde non nulla vocabula, quae deinde sunt alium sortita sensum, a colendo agro et a rebus agricularum originem sumpserunt. Quod dilucide apparet in vocibus:

confiscare [: in pecuniam publicam seu principis redigere] <*fiscus* [corbis, arca pecuniae, pecunia publica seu principis];

tribulare [: premere, cruciare, affligere] <*tribulum* (*trillo*) [quo triticum teritur];

e-gregius [: qui e grege legitur seu in grege excellit] <*grex*;

de-lirare [: e sulco evagari, insanire] <*lira*;

pecunia [: divitiae sive quia ex pecudibus maxime constabant, sive quia in nummis pecoris figura exprimebatur] <*pecus*;

rivales [: qui juxta eundem rivum sunt, qui eadem appetunt, qui eodem tenentur amore] <*rivus*;

materies : truncus (qui est quasi arboris mater), lignum (*madera*) <*mater*, cet.

Pax vero est nomen actionis a radice **pak*- ortum, cujus est sensus «ex pactione statuere, seu conventionem inter duas partes facta, rem definire, decernere». Quam pactionem, ut fixam firmamque haberent, prisci illi coloni Romani palum seu paxillum in terram defigentes, pangebant.

Utinam hoc vocis etymon omnes nostrae aetatis gentes et nationes probe intellegentes convenirent una, eamque ipsi figerent, pangerent, confirmarent pacem quae finibus divinis et humanis est definita et circumscripta. Utinam Deus pacis —qui ea totiens homines salutavit, dum apud nos mortalem vixit vitam— creatore digito illam in firmamento signet et arcum foederis et pacis inter Deum et homines denuo exscribat, quo omnium mentes pacatae divinis humanisque rebus quieto ac tranquillo animo incumbant. Quod ut petant nationes coram Deo nostro Eucharistico —qui est caritatis et pacis vinculum— in Congressu Internationali Barcinone celebrando congregabuntur: illis et nos his PALAESTRAE LATINAE pagellis toto pectore consociari vehementer appetimus.

J. M. MIR, C. M. F.

De novo libro et fragmento Aristotelis ⁽¹⁾

Aristoteles ad Alexandrum Magnum in Asiam Minorem primo vere anni 334 expeditionis Persarum causa profectus est odio hostilique animo in illos barbaros semper affectus. Stagirites oppidum Atarneum post quadraginta fere annos iterum revisit; sed ipse iter contra Persas non est prosecutus, immo Callisthenem nepotem suumque comitem longius progredi et res ad scientias pertinentes ad se Athenas mittere jussit; re vera Callisthenes a Babylone instrumenta astrologica postea in Graeciam transmisit. Aristoteles autem magis philosophiae doctrinae tranquillae quam expeditioni periculosae laboriosaeque operam navans, eodem anno 334 ad scholam peripateticam regendam et partes Macedonum suorum —gracili corpore laborans— Athenas reversus est. Qui locus Himerii, de Aristotele referens, deest apud Helmut Berve: *Das Alexanderreich* II (Muenchen, 1926) 70, nr. 135, Ἀριστοτέλης.

Quaenam ratio inter Aristotelem et oppidum Atarneum intercedat? Parentibus Aristotelis praemature mortuis, Stagirites puer a Proxeno, principe Atarnei et Assi, in tutelam receptus in oppido Atarneo educatus est. Proxenus ipse ex oppido Stagiris oriundus cum familia Aristotelis cognatus erat, admodum idoneus qui ingenium pusionis ad amplitudinem et varietatem mundi admirabilem observandam dirigeret et in animo tenero semina curiositatis plurima collocaret. Atarneus non erat magnum oppidum, sed opulentum propter regionem fertilem et oram maritimam et optime a Proxeno Hermiaque principibus administratum. Aristoteles, semper pueritiae felicitatis in his tam celebribus locis peractae memor, postea Hermiam, principem Atarnei familiarissimumque, versibus laudavit, oppidum ejusque incolas coloribus acris et sensibus gratissimae memoriae plenis. Ex his memoriis Aristoteles primo exercitum Alexandri secutus in Asiam Minorem esse videtur, ut illam terram, Persis fugatis, denuo culturam graecam exornandam et cum Graeciae mentibus moribusque intime penitusque conjungendam curaret.

De novo libello Aristotelis. Aristoteles vere anni 334 Atarnei paululum commorans libellum in honorem hujus oppidi et ultimi principis Hermiae septem annis ante occisi composuit. Quod opusculum Himerius βραχὺ βιβλίον fuisse judicat, adhuc inter scripta philosophi commemoratum non est; causa autem, quare libellus ille ignoraretur, erat quod inscriptione carebat quae propter opusculi proprietatem et brevitatem, a nullo editore praefixa erat; potissimum quia, carmen cum esset, titulum proprium illud opus non terebat; sed, ut fieri solet, ex rebus praecipuis carmen laudabatur; ἀρετῆ καὶ σοφίας oppidi Atarnei et Hermiae principis illo libello celebrabantur, quod ad opera poëtica Stagiritae spectat; nam ex verbis πόλιν ἑλκῆς ἀρετῆς καὶ σοφίας διψῶσαν ἅπασαν etiam nunc aliquos numeros hexametri sentire possumus; quo

(1) Cfr. fasc. superiorem, p. 144.

adducimur ut illum libellum carmen elegiacum distichis versibus pactum existimemus; at dictione poëtica diversorum numerorum in sanctuario Delphico cum statua Hermiae Aristoteles in inscriptione usus videbatur esse, si carmen his verbis ἀρετὰ πολύμοχθε incipiens adhuc inter fragmenta Aristotelica superstes in statua affixum erat; quam aediculam (θάλαμος) una cum statua a populo Atarnensi Aristotele auctore constructam esse verisimillimum est. Idque addere oportet Himerium hunc novum libellum Aristotelis non ex proprio ingenio invenisse; immo hoc pro vero habendum est: sicut Himerius sophista reliquas res ad Aristotelem, Alexandrum Magnum, Hermiam pertinentes ex historia vitae Aristotelis cognoverat, eodem modo carmen illud de oppido Atarneo atque Hermia principe e simili vel eadem historia vitae Aristotelis tanquam e fonte vere credibili Himerio innotuisse potuit; propterea nulla causa est, cur illum libellum Aristotelis carmen elegiacum de virtute et sapientia populi Atarnensis ejusque principis Hermiae fuisse dubitemus.

De novo fragmento Aristotelis. Illae notiones cardinales virtutis et sapientiae carminis Aristotelici repraesentant simul fragmentum quoddam ejusdem poematis, ut imprimis ex verbo poëtico διψῶσαν elucet; sicut hoc loco Stagiritis dicit σοφίας διψῶσαν, ita quoque in opere de caelo II, 12, pg. 291, b, 27 φιλοσοφίας διψῶσαν scripsit. Illud carmen autem statim fere post adventum Aristotelis anno 334 in oppido Atarneo compositum est; liber de caelo tamen multo postea Athenis ortus est. Quibus rebus respectis convenit sententiam hanc, quae post ἰδὼν legitur, fragmentum carminis philosophi existimari: πολὺν ὄληγς ἀρετῆς καὶ σοφίας διψῶσαν ἅπασαν; verbum ἰδὼν in carmine ipso alia forma reddita erat, ut suspicari licet. Ἀρετῇ jam saepe ethicis libris Aristotelis tractatur, ut exempla proferam: pg. 1021, b, 20; 1106, a, 22; 1102, a, 16 quibus philosophus Hermiam amicum et affinem exemplar virtutis laudat. Arte autem cum virtute conecitur sapientia, quae ipsa virtus quaedam creditur; vide apud Aristotelem 1197, b, 3; 1177, a, 24; 1141, a, 16.

Philosophus poëta oppidum Atarneum ejusque principem Hermiam versibus gratissimis honestando suae quoque aetatae in vicino oppido Asso peractae recordans eodem tempore pronuntiare videtur voluisse se ipsum eodem modo atque Atarnei incolas et Hermiam quantum puer poterat cujuslibet virtutis et scientiae avidum fuisse; carmine aliis dedicato memoria propria Aristotelis et gratia erga principes ingeniosos ac strenuos illius regionis maritimae ample panditur, ut equidem opinor.

De textu fragmenti paucis verbis agamus. Πολὺν ὄληγν codices manuscripti praebent, at ὄληγν propter ἅπασαν manifesto ad πολὺν pertinens, tautologiae causa, tolerari nequit; ὄληγν et ἅπασαν idem significarent, id quod dictioni Aristotelis brevitate notissimae contradicit. Philosophus autem ipse inter ὄλος et πᾶς (vel ἅπας) distinguit hoc modo: in poëtica 7 pg. 1450, b, 26 definit ὄλον ἔστι τὸ ἔχον ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τελευτήν.

Notio τῷ ὅλῳ indicat totum quoddam ex ratione seu «systematice» ordinatum; ἀρετῆ vero et σοφία sunt conceptus philosophici multifariam divisi et distincti; propterea ad ἀρετῆς καὶ σοφίας adjungo ὄλῳ quod nunc in ὄλῳς (genitivum) mutandum est; scriba secundum pronuntiationem vulgarem «polin holin» neglegenter juxta πόλιν exaraverat ὄλῳ. Nunc ὄλῳς ἀρετῆς καὶ σοφίας significat: cujuslibet virtutis et sapientiae (vel scientiae quoque), quae saepe in species subdividi possunt. Πᾶν contra indicat totum quoddam quod sine ordine exstat; cfr. metaphysica V 26 pg. 1023, b, 26; 1024, a, 1-2. Πᾶσι igitur merito ἅπαντα vocatur (κοινὸν ἀδιόριστον), cujus incolae ad unum omnes non distincti iisdem virtutibus variis et scientiis studere certent. Ὀλῳς additum ad ἀρετῆς καὶ σοφίας auget vim verbi διψῶν; neque enim virtutis incertae ac sapientiae cupidi sunt Atarnenses, sed cujuslibet virtutis et sapientiae sitiunt; per ὄλῳς multitudo virtutum notatur. Aristoteles consilio ὄλῳς et ἅπαντα diversa significatione adhibuit et figura chiasmi inter se opposuit: πόλιν ὄλῳς ἀρετῆς καὶ σοφίας... ἅπαντα (AbBa). Ergo ὄλῳς optima et facillima et unica emendatio est. Falsum certo est ὀλίῳν scribere; nam pg. 167.41 Himerius oppidum Atarneum jam οὐ μεγάλην πόλιν nominaverat, neque Aristoteles illud oppidum spatio parvum describere voluit, sed studiis omnium virtutum et scientiarum gloriosum figura ὑπερβολῆς celebravit; ne Ἑλληνικῶν quidem propter ipsam palaeographiam restitui potest; unde ὄλῳς jure minima mutatione scribendum esse patet.

EMIL ORTH


Nova et Vetera

DE VENTIS APUD VETERES ROMANOS

Apud Graecos et Romanos ratio ventorum subobscura quaeestio semper fuit, quamquam illi optime geographicam calluerunt scientiam. Obiter tantum, et tantumquam per transennam hac de re agunt. Immo non convenit inter scriptores de eorum nomine atque ratione. Unde maxima oritur difficultas ut quaeestio ejusmodi rite tractetur, omniaque plane constare possint. Tamen, ex his, quae apud Plinium, Vitruvium, Vegetium legi ac selegi, rem quam brevissime potero exponam, quaeque mihi videntur omnino certa hoc articulo statuam.

I. DE ROSA VENTORUM

Ut «Rosam, quae dicitur, ventorum» quodammodo stabilire possimus, necesse est ut scriptorum loca diligenter expendamus. Ex quibus clare liquet ventos pluribus nominibus, cum varii sint, inter se fuisse distinctos. Juxta Isidorum (*Orig.* 13, 11, a. med.), omnium antiquissimi homines duos tantum ventos habuere. Ex omnibus autem ventis duo cardinales sunt: Septentrio scilicet et Auster. Strabo, de hac re disserens, id ipsum refert (lib. I, p. 50).



Deinde vero, labentibus annis, quattuor fuerunt venti cardinales, quia flant a quattuor mundi cardinibus, septentrione, oriente, meridie, occidente. Quos quidem Ovidius (*Trist.* 1, 2, 27), et mox Manilius (4, 589), poëtarum principem Homerum in *Odyssea* (5, 295) secuti, certis nominibus appellarunt, nempe: Borean, Eurum, Notum, Zephyrum. Nomina, uti vides, a Graeco fonte deduc̄ta; postea Celsus (2, 1) in Latinum convertit, Septentrionemque dixit, Subsolanum, Austrum, Favonium.

Tempore tamen progrediente (quibus vicissitudinibus quibusve de causis hoc evenerit, prorsus ignoro), venti ōcto fere reperiuntur. De quibus Plinius (*N. H.* 2, 46, 1). Item nominibus quidem Graecanicis vocavit: Aparctian, Borean, Apelioten, Eurum, Notum, Liba, Zephyrum, Argesten. Latinis vero Septentrionem, Aquilonem, Subsolanum, Vulturinum, Austrum, Africum, Favonium et Corum.

Postea, circa Alexandri Magni tempora, venti duodecim appellati sunt. Adis Vegetium (*Epit. Rei Milit.*, 4, 37 et alibi). Vide etiam Senecam (*Quaest. Nat.*

5, 16). Ventis nimirum supra recensitis, sequentes adjungunt Graecorum more appellatos: Caecian, Euronotum, Libonotum, Thrascian. Latine vero nominant Album Notum, Austroafricanum, Caecian, Circium. Hi duodecim venti, si Isodoro credendum est, (*Orig.* 13, 11, 3), ita se excipiunt: Subsolanus a latere dextro Vulturum habet, a laevo Eurum; Auster deinde a dextris Euroastrum, a sinistris Austroafricanum; Favonius autem a parte dextra Africanum, a laeva Corum. Porro Septentrio a dextris Circium, a sinistris Aquilonem. Hoc testimonio suffulti, ut omnia non tantum menti sed oculis pateant, schema confecimus:

Tandem, teste Vitruvius (1, 6), sub Augusti tempora, venti quattuor et viginti evaserunt. Quos ita recenset: Septentrionem, Gallicum, Supernatem, Aquilonem, Borean, Carban; Solanum, Ornithian, Caecian, Eurum, Vulturum, Euronotum; Austrum, Albanum, Libonotum, Africanum, Subvesperum, Argesten; Favonium, Etesias, Circium, Caurum, Corum, Thrascian.

Nunc, his generatim praelibatis de numero ventorum, liceat aliqua subjungere in tironum gratiam

II. DE PRAECIPIUS ROMANORUM VENTIS

quoad Mythologiam historiamque potissimum spectat. Nonnulla summam persequar. Alia, si quaeras, dabunt Lexica.

Fabu' est, Ventos filios fuisse Astraei, qui patrem Titanum habuit, et Aurorae, et fratres Astraeae; eos aliquando adversus Jovem proeliatos esse; a Jove autem debellatos in terrae speluncis in Aeolide inclusos fuisse, iisque Aeolum regem datum esse, qui eos coerceret. Hinc pro Diis habiti sunt, templaque illis dicata (Vide SERV. *ad Verg. Aen.* 1, 136; SENEC. *Quaest. Nat.* 5, 17, sub fin.). Item victimae occisae oblataeque fuerunt (HOR. *Epod.* 10, in fin, et VERG. *Aen.* 3, 120). Idipsum evincitur ex LUCR. 5, 1228, et OVID. *Heroid.* 18, 37. Jam speciatim de praecipuis ventis, atque in primis de

Austro: Est unus ex quattuor praecipuis ventis, meridionalis, humidus et calidus, Graeco vocabulo »Notus» dicitur: cui contrarius est a septentrione spirans Septentrio, seu Aparctias (SEN. *Quaest. Nat.* 5, 16, 5: «A meridiano axe Euronotus est; deinde Notus, latine Auster; deinde Libonotus, qui apud nos sine nomine est»). Isidorus autem in *Orig.* 13, 11, 6, haec habet: «Hic graece Νοτός appellatur, propter quod interdum corrumpat aërem. Nam pestilentiam, quae ex corrupto aëre nascitur, Auster flans in reliquis regiones transmittit; sed sicut Auster pestilentiam gignit, sic Aquilo repellit. Vide etiam Columellam 11, 2, 74, et Vitruvium 1, 6.

Macrobius in *Somno Scip.* 2, 5, docet hunc ventum natura quidem frigidum esse, sed quia per calida Africae loca ad nos permeat, calidum fieri. VERG. *Geor.* 4, 261: «Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster».

Africanus: Ita dictus, quod ab Africa, inter Austrum et Zephyrum, spirat, ut habet Isidorus in *Orig.* 13, 11, 9, Propertius autem (4, 3, 47) «Africanum patrem» dixit, quia omnes venti Dii habiti sunt, ut supra dixi. Diis autem *patris* nomen convenit. Quod autem addit — ut ait Forcellinus ad verbum «Africanus» — cum

aquas congelare, Africum sine dubio confundisse cum Aquilone. Nam, Africus ab Africa, quae regio est calidissima, spirans, vim congelandi non habet, bene tamen Aquilo, qui septentrionalis est.

Aquilo: Ventus septentrionalis, omnium frigidissimus, idem qui Boreas a Graecis dicitur, Aquilo autem appellatus a vehementissimo volatu ad instar aquilae, ut ait De Vit in suo «Onomastico». Ut fabula est, frater habetur Noti, Zephyri Favonique, maritus autem Orithyae, quam ex Graecia in Thraciam rapuerat (CIC. *Leg.* 1, 1; PROPERT. 3, 7, 13. Conferas etiam OVID. *Heroid.* 11, 13, sqq.). Alia plurima mythologi praestabunt. Latini scriptores, et praesertim poëtae, hunc cum septentrionali vento saepe confundunt; quin et pro omni vento per synecdochen usurpant, qui vehementissimi flatus sit.

Zephyrus: Latine Favonius nuncupatus. Est unus ex quattuor ventis cardinalibus; qui flat ab occasu aequinoctiali, adversus Subsolanum, testibus Gellio 2, 22 et Plinio, *N. H.* 18, 77, 5. Vox Graeca idem significat ac «ferens vitam» (=ἔχειν φέρων), Latina autem a «favere» ducitur, nam ventus ejusmodi flans calore ipsius, fructus augere existimabatur; immo animalia hunc ventum adspirantia, partibus suis favere credebantur. Nihil ergo mirum si Plinius *genitalem mundi spiritum* vocet. Praeterea, Zephyrus cum flat, ver inchoat, ut testatur idem Plinius (18, 77, 5). Unde Horatius, *Epod.* 1, 7, 13: «Te, dulcis amice, revisset cum Zephyris, si concedas, et hirundine prima».

Vide etiam Vergilium, *Aen.* 4, 222, ubi hujus venti munus officiumve designatur: portare nempe nuntius Deorum: «Tum sic Mercurium alloquitur: Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis». Item, pro quolibet vento apud poëtas passim occurrit.

Eurus: Etymon profert Gellius 2, 22, 13: «qui ventus igitur ab oriente verno, id est aequinoctiali venit, nominatur Eurus, ab aurora flans». Spirat ergo ab oriente brumali, contra Corum. Ad nomen autem quod attinet, quamquam jam civitate donatus est, Latini appellaverunt Vulturum (COLUM. 11, 2, a. med.; SEN. *Quaest. Nat.* 5, 16; LIV. 22, 46, 4; VEGET. *Ep. Milit.* 4, 38; VITRUV., 1, 6, a. med.). Ceterum, animadvertas oportet eos, qui quattuor tantum ventos agnoverunt, non ab oriente brumali, sed aequinoctiali contra Zephyrum spirare affirmasse, et alium a Vulturno esse, eundem vero atque Apeliotem et Subsolanum. (OVID. *Trist.* 1, 2, 27; MANIL. 4, 589). Itaque a poëtis accipi videtur hoc pacto, nam interdum Eurum pro oriente ponunt.

Subsolanus: Ventus ab ortu aequinoctiali spirans, sic dictus, quia sub sole nasci videtur, quam ob rem a Graecis quoque Apeliotes (Ἀπυλιώτης) nuncupatur. Plinius, 2, 47, 1: «Ab oriente aequinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturum; illum Apeliotem, hunc Eurum Graeci appellant». Vitruvius hunc ventum omnino Solanum vocat.

Habes strictim de notissimis ventis. Pauca dixi, sed ut puto praecipua. Alia si desideres, apud scriptores invenies, in his pagellis passim laudatos.

HENRICUS VALLS, *Monachus Montisserrati.*

Cursus Gymnasticus

CRISTO PRINCIPE DE LA PAZ

Es, sin duda 1), el bien 2) de todas las cosas universalmente 3) la paz y así 4), dondequiera que la ven, la aman 5). Y no sólo ella 6) mas la vista de su imagen de ella 7) las enamora 8) y las enciende 9) en codicia de asemejarsele 10), porque todo se inclina 11) fácil y dulcemente a su bien. Y aun si confesamos como es justo 12) confesar 13), la verdad 14), no solamente la paz es amada, generalmente de todos, mas sólo ella 15) es amada, seguida 16) y procurada por todos. Porque cuanto se obra 17) en esta vida por los que vivimos en ella 18), y cuanto se desea y afana 19), es por conseguir este bien de la paz y éste es el blanco 20) adonde enderezan su intento 21) y el bien a que aspiran 22) todas las cosas. Porque si navega el mercader y si corre las mares 23), es por tener paz 24) en su codicia que le solicita 25) y guerrea 26). Y el labrador en el sudor de su cara 27) y rompiendo la tierra 28) busca paz, alejando de sí cuanto puede 29); al enemigo 30) duro de la pobreza. Y por la misma manera el que sigue el deleite 31), y el que anhela a la honra 32) y el que brama 33) por la venganza 34), y finalmente todos y todas las cosas buscan la paz en cada una de sus pretensiones 35). Porque, o siguen algún bien que les falta, o huyen algún mal que los enoja 36)...

Y si la paz es tan grande y tan único bien 37), ¿quién podrá ser Príncipe de ella, esto es, causador 38) de ella y principal 39) fuente suya 40), sino ese mismo que nos es el principio y el autor 41) de todos los bienes, Jesucristo Señor y Dios nuestro? Porque si la paz es carecer de mal que aflige 42) y de deseo que atormenta 43), y gozar de reposado sosiego, sólo El hace exentas 44) las almas del temer, y las enriquece 45) de tal manera que no les queda cosa que poder desear.

(Fr. LUIS DE LEÓN, *Los nombres de Cristo*, l. 2, *Príncipe de la paz*, BAC., p. 586-587)

VERSIO LATINA

Bonum igitur omnium rerum ad unum sine dubio pax est, quam ubicumque [homines] vident, eam et amant. Neque ipsa tantum pax, sed et ejus imago conspecta omnes trahit et allicit in eis que cupiditatem, ejus similitudinem exprimendi, incendit; nam omnia ad pacis bonum facile ac suaviter tendunt.

Quin immo si, ut par est, verum confitemur, non solum ab omnibus universe amatur, sed et una tantum pax ab omnibus amatur et appetitur et exquiritur. Nam quaecumque agimus, hanc vitam dum vivimus, quaecumque et optamus et cupimus, omnia huc spectant ut hoc pacis bonum adipiscamur; hic sane finis quem omnes res intendunt, hocque bonum quod omnes expetunt.

Nam propterea mercator navigat atque maria emittitur ut aviditati, qua urgetur et vexatur, pacem afferat; et agricola, agros proscindens, ex ore manat sudore, ac, paupertatem, acerbissimum hostem, pro viribus propulsans pacem insectatur. Ac simili ratione qui corporis voluptatibus movetur, qui honoribus veluti inhiet, qui ultionis studio fremit, omnes denique univer-

saque, in iis quae intendunt, pacem conquirunt; nam aut bonum, quo carent, insectantur, aut malum, quo punguntur, refugiant...

Quod si pax tantum ac singulare prorsus unumque bonum est, quis igitur illius Princeps, id est, causa et effector et primarius fons esse poterit, nisi Jesus Christus Dominus et Deus noster qui universorum bonorum principium nobis est et auctor? Nam si pax ea est qua malo, quod cruciat, et desiderio, quod sollicitat, caremus et qua tranquilla perfruimur quiete, Ille profecto solus animas timore solvit et liberat easque tantis auget divitiis ut, quod amplius desiderant, prorsus eis nihil restet.

COMMENTARIUM

1) **sin duda:** *sine dubio, non dubie*; cfr. «Sine dubio perdidimus hominem» (Cic. *Catil.* 2, 1, 1); «Etsi non dubie nuntiabatur...» (Id. *Fam.* 15, 1) *Sine dubitatione, sine ulla dubitatione* intensiorem secum ferunt vim. T. Livius et scriptores aetate posteriores *procul dubio, haud dubie* (Liv. 21, 5, 3) adhibent.

2) **el bien:** notum est ad notiones abstractas exprimendas adjectiva neutrius generis in substantiva converti: *bonum, verum, falsum, aequum, calidum, inane, utile, cet.* (cfr. *Tusc.* 5, 15, 45).

3) **universalmente:** *universe* (cfr. Cic. *Att.* 8, 11), *generatim, communiter, ad unum*: «Ut omnia generatim amplectamur» (Id. *Invent.* 2, 5); «De amicitia omnes ad unum idem sentiunt» (Cic. *Amic.* 23, 86). *In universum* adhibent T. Livius (9. 26), Tacitus (*Germ.* 5), Plinius (6, 17, 19).

4) **y así:** id quidem proprium ac peculiare linguae Latinae est ut orationes arte conjungantur sive ex ipsa subordinazione, sive ex particulis, sive ex relativis quibus particulae suppleantur: «Quem ubi vidi (=et ubi eum vidi), equidem vim lacrimarum profudi» (Cic. *Somn. Scip.* 1). Saepe relativum antecedenti praedit: «Quae cogitarat, ea perfectit» (Cic. *Off.* 2, 48). «Quam quisque norit artem, in ea se exerceat».

5) **aman:** *amare*; discrimen inter *amare* et *diligere* sic veteres statuebant: «Amare vim habet majorem; diligere est levius amare» (NON. 421, 28); «Amare, inquit Forcellinius, est ex appetitu, diligere ex ratione. Hinc amare dicuntur etiam bruta animalia, diligere soli homines». Cfr. etiam Tullium (*Fam.* 13, 47): «Eum a me non diligi solum, verum etiam amari».

6) **ella:** *verte ipsa pax*.

7) **la vista de su imagen:** *ejus imago respecta*; inter linguae Latinae formas nativas

illa eminet quae res concreto modo exprimit (cfr. MAROUZEAU, *Traité de Stylistique appliquée au latin*, 2 ed., pag. 144), eaque peculiaris indoles diversis modis, ut participiorum usu, perficitur: «Angebant virum Sicilia Sardiniaeque amissae» (Liv. 21, 1, 5) «Ab urbe oppugnanda Poenum absterruere conspecta moenia haudquaquam prompta oppugnanti» (Liv. 23, 1, 10), *la vista de las murallas amedrentó a Antbal del asalto de la ciudad...*

8) **enamora:** *trahere atque allicere* (cfr. Cic. *Arch.* 11; *Fam.* 2, 15). Conjungunt saepe scriptores duo vocabula ut rem plenius significant (cfr. MAROUZEAU, *Traité de St.* p. 280 s. s.; COUSIN, *Evolution et structure de la langue latine*, p. 142-143): «faustus et felix, oro atque obsecro, vellent juberent», cet.

9) **enciende en codicia:** *cupiditatem incendere, incendere cupiditate*; cfr. «Cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendae nostrae» (Cic. *Fam.* 15, 21); «Incendere aliquem cupiditate bellandi» (NEP. *Hannib.* 2).

10) **de asemejarsele:** *similitudinem gerere* (cfr. Cic. *Off.* 3, 4), *speciem habere, ferre* (Id. *Off.* 3, 2; *Off.* 2, 11); *referre*, (PLIN. *Epist.* 5, 16), *similitudinem exprimere* (cfr. PLIN. 34, 7, 18).

11) **se inclina:** *tendere ad*. «Atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat...?» (Cic. *Ad Brut.* 1, 17).

12) **la verdad:** cfr. n. 2.

13) **como es justo:** *ut par est*. «Statim, ut par fuit..., comprehensi sunt» (Cic. *Verr.* 7, 4); vel etiam *ut, sicut, quod aequum est*: «Sed Posidonium, sicut aequum est dimittamus» (Id. *Fat.* 4).

14) **confesar:** hujus verbi repetitio rescindenda est: «Verbum quod duabus pluribusve propositionibus commune est plerumque semel tantum exprimitur, etiam in diversa persona; (a fortiori semel exprimitur verbum

in una eademque propositione) (ISSELÉ, *De Latinorum sermonē*, n. 129).

15) **sola ella**; substantivum adhibe, et que adijunge *una, una tantum, una solum pax*: «Pompejus plus potest unus, quam ceteri omnes» (Cic. *Att.* 6, 1).

16) **seguida**: *insequi, consecrari*; id tamen animadvertendum haec esse verba deponentia, quae vero sequuntur, atque eandem complent orationem, activa. Ideo aut oratio in voce activa est conficienda: «unam solam pacem et amant et insequuntur et exquirunt»; aut, si passiva retinetur, verbum *insequi* in *appetere* commutari debet.

17) **se obra**: *quaecumque agimus*. Notum est formam impersonalem (*se hace*) verti posse per primam personam numeri pluralis: «Quae volumus, ea credimus libenter», «*se cree*» *con agrado lo que se quiere*. «Facile odimus, quem metuimus».

18) **en esta vida por los que vivimos en ella**; oratio aliquatenus commutanda est, et *vitae* repetitio omittenda: «quaecumque agimus, hanc vitam dum vivimus»; cfr. «*Tutorem vitam vivere*» (Cic. *Verr.* 2, 18), Cfr. *vitam, aetatem degere, agere*, quae proprie significant *ducere (pasar)* vitam (cfr. Cic. *Rosc. Amer.* 52).

19) **se desea y afana**: *cupere atque optare* (cfr. Cic. *Amic.* 16, 59); *optare et expetere*: «*Optandam* duco mihi fuisse illam *expetendamque* fortunam» (Cic. *Pis.* 14).

20) **el blanco**: *finis*. «*Domus finis* est usus». (Cic. *Off.* 1, 138). Classici scriptores *propositum, consilium, voluntatem, animum, mentem*, cet. adhibent cum «*propositum*» exprimunt sensu subjectivo —mente conceptum—, «*finem*» vero sensu objectivo, id est cum rem ipsam significant in quam tenditur. (Cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus der lateinische Sprache*, s. v.).

21) **a donde enderezan su intento**: *intendere, persequi, animo proponere*.

22) **aspiran**: *expetere, appetere* (Cfr. Cic. *Q. fr.* 1, 1, 2). Concinnitatem quandam in extremis orationibus in Latinum conversis animadvertit.

23) **corre las mares**: *maria emetiri* (VIRG. *Aen.* 5, 627); quae locutio quamquam poetica adhiberi hic potest ex ipsa stili Legionensis

praestantia. *Maria transmittere, pererrare minus ad rem apta videntur*.

24) **tener paz con su codicia**: *pacem afferre alicui*, cfr.: «*Temperantia pacem animis affert*». (Cic. *Fin.* 1, 14).

25) **solicita**: *urgere*; cfr. «*Judicium magni praesentis atque urgentis mali*» (Cic. *Tusc.* 3, 25, 61).

26) **guerrea**: *vexare*. «*Qui fertur et raptatur (raptatur?) atque hic illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur*» (GELL. 2, 6, 5); «*Sollicitudo vexat impios*» (Cic. *Leg.* 1, 14); vel etiam *exagitare*: «*Quos flagitium, egestas, conscius animus exagitat*» (SALL. *Catil.* 14).

27) **en el sudor de su cara**; verte alio modo: «*suda su cara rompiendo*»; ad quam convertendam orationem cfr.: «*Herculis simulacrum multo sudore manavit*» (Cic. *Divinat.* 1, 34) et «*Manat nobis e toto corpore sudor*» (LUCR. 6, 944). Adhiberi etiam potest verbum *sudare*, quod tamen scriptores classici sensu translaticio in primis usurpant.

28) **rompiendo la tierra**: *proscindere terram, proscindere campum, agrum pros. in lere*.

29) **cuanto puede**: *pro viribus*; cfr. ea quae sub voce *virilis* habet Forcellinius, et in primis discrimen inter *pro viribus* et *pro virili parte*: «*Pars virilis* est id, quod unus vir agere potest vel debet... Cic. 6, *Verr.* 37 ad fin. Est aliqua mea pars virilis quod..., *tocca anche a me la mia parte*... Hinc *pro virili parte*, pro eo quod officii mei est, *per quel che a me s'aspetta*: minime vero idem est ac *pro viribus*, pro quod meae vires valent, ut perperam quidam interpretantur».

30) **enemigo**: *hostis*, de quo Forcellinius: «*Is, cum quo publice bellum habemus (quamquam etiam de quocumque adversario dicitur) in quo ab inimico differt, qui est is, quocum habemus privata odia. Distingui etiam sic possunt, ut inimicus sit qui nos odit; hostis qui oppugnat*»; eaque distinctio servatur, ut asserunt Ernout-Meillet, usque ad aetatem argenteam. Aliquotiens tamen *hostis* privatum hominem significat sed more bellico quasi se gerens, ut Catilina in rem publicam, Clodius in Ciceronem ejusque asseclas (cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v.) Hic cum non agatur de privato inimico, *hostis* usurpari potest.

31) **sigue el deleite:** *qui corporis voluptatibus movetur, qui voluptatem sequitur, qui voluptaria conquirunt. «Corporis voluptates»: saepe adduntur corpus, animus, similia, «quibus prescius designatur ea hominis pars, cui qualitas inhaeret aut ad quam refertur actio verbi».*

32) **el que anhela a la honra:** cfr. «ad honorem niti» (SAL. Jug. 4), «honores petere» (NEP. Att. 6); «appetere» (cfr. Cic. Dom. 38; Agr. 2, 34); ex elatioris stilo adhiberi potest *inhiare honoribus* Plautus dixit (Stich. 4, 2, 25): «Ille homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus».

33) **brama:** *fremere*, quod sensu translatione etiam de hominibus dicitur: «*Fremant omnes licet, dicam quod sentio*» (Cic. Orat. 1, 44).

34) **por la venganza:** *ultio*; «Ultionem petere» (Liv. 31, 24, 1); aptior tamen videtur locutio *ultionis studio fremere*.

35) **en cada una de sus pretensiones:** *in his quae intendunt*; et nota commutationem notionis abstractae (*pretensión*) in orationem, ut in Latino sermone fieri solet: «*Il qui adsunt, los presentes; id quod superest, lo restante*».

36) **enoja:** *pungere*; quod sensu metaphoricum adhibetur: «*Si paupertas momordit, si ignominia pupugit*» (Cic. Tusc. 3, 34).

37) **tan único:** *singulare prorsus; singularis* idem est atque *unus, unicus*: «*Ne singulari quidem homini semitae patuerant*».

38) **causador:** *causa et effector*, duobus adhibitis vocabulis ad rem unam exprimendam, ut Latini placet.

39) **principal:** *primarius*: «*Uno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum*» (Cic. Senect. 17).

40) **fuente;** eadem metaphora utitur Tullius: «*Greges philosophorum ab illo capite et fonte Socrate*» (Cic. Orat. 1, 10).

41) **autor:** eandem vocem adhibere possumus, ut ex multis locis Ciceronis patet.

42) **aflige:** *cruciare*: «*Officii mei delibatio cruciat, cruciavitque adhuc*» (Cic. Att. 8, 15).

43) **atormenta:** *sollicitare (vexare)*: «*Multa sunt quae me sollicitant anguntque*». (Cic. Att. 1, 18). *Sollicitare* > *sollus* [=totus] *cieo*.

44) **hace exentas:** *solvere atque liberare*.

45) **enriquece:** *divitiis augere* (Cic.), *ornare* (NEP.), *cumulare*.

J. M. MIR, C. M. F.

Ad nostrae aetatis homines sermo de vera pace statuenda

SERMONIS SUMMA

Primus sermo (1-40) docet quae sint mala nostra. Secundus

(41-55) monstrat quae fuerit tantorum causa laborum.

Tertius (56-86) instituit germanam condere pacem.

Quartus (87-95) describit populus sub jure beatos.

Quintus (96-119) inhumani memorat crudelia belli.

A superis pacem flagitat tum denique summus.

Nondum terribilis pavido cessavit in orbe
armorum strepitus, nondum pax candida maestis
affulsit populis; cum jam nova turba malorum
bellaque nos bellis graviora prioribus instant.

5 Atque, equidem, quocumque feras tua lumina, passim
sollicitant mentem tristi spectacula visu:
cives, obliti patriae communis et ortus,
acriter ob partes studia et contraria certant;

maxima pars hominum, manibus cui vita paranda est,
10 squalet in aerumnis, vel eo privata labore
qui ventris rabiem laribus de dulcibus arcet
innumerasque fovet magno cum faenore vires,
quas homini ratio et rerum natura dedere.

Hinc fit ut immensus coetus succrescat eorum
15 quos fera pauperies malesuadaque semper egestas
(acrius irritans animum quanto acrius ipsum
paucorum nimium fortuna superflua mordet)
post volucres umbras et inania somnia raptant.

Nil sancita valent sollemni foedera ritu,
20 nil promissa fides; licitum versatur ubique
illicitumque; gemunt congesta in carcere caeco
plurima captorum miserorum milia, frustra
pignora cara sibi patriamque videre precantur.

Adde quod excruciat totum furor impius orbem;
25 sollicitumque pariunt venientia bella timorem,
ipse timor trepidis ac fortibus arma ministrat,
armaque tum demum referent instantia bella.

Ah, populi, populi, quae vos insania cepit?
Quo, quo vos rapitis furiata mente, scelesti?
30 Quare, quas ratio sanctos porrexit in usus,
in nos egregias, miseri, convertitis artes?
Cur ceu nos lente nimium mors tristis adiret,
acceleratis eam, mirisque lacessitis armis?
Scilicet, ut pacis nos alba columba revisat...

35 Non armis pax alma venit, non sanguine fuso,
non magnis una deletis urbibus hora,
non uno caesis hominum tot milibus ictu;
sed virtute venit, quae, caelo lapsa sereno,
nos docet a caelo germanam quaerere pacem:
40 virtus una bonos, virtus facit una beatos.

At quae, si libeat rerum cognoscere causas,
tanta fuit, quaeras, nostrorum causa laborum?
Quis, seu fraude mala, seu vi, mortalibus aegris
abstulit optatae pacis caelestia dona?
45 Sic est in promptu, ut pateat vel lumine captis:
discidium superis, sancti despectus amoris.
Nunc etiam, ut quondam miserabilis ille viator,
quem Jericho dulcis Jesus inducit euntem,
gens humana jacet mediis intersita saeculis.

- 50 Dum Jericho temere sancta descendit ab urbe,
dum mala, posthabitis superis, in gaudia fertur;
perfidia, ambitio, impietas, odia aspera, fastus
confisam nimium subito oppressere tumultu.
En, en, qui nobis pacem rapuere, latrones;
- 55 hinc, hinc, quae populos vis ac discordia, vexant.
Jam populi fracti bello et nova bella verentes
sollicitis poscunt precibus pavidique precantur
quamprimum revolet pacis dilecta columba;
at, cum non videat, terra vi ac sanguine mersa,
60 possit ubi in sicco candentes ponere plantas,
illa citis caelum pennis petiisse videtur,
nec, semel in sanctos superos concessa, redibit,
donec ab aëria communis amoris oliva
possit odoratum tandem decerpere ramum.
- 65 Ergo si vultis germanam condere pacem,
discite justitiam, populi, superosque vereri.
Imprimisque Deo, quo verus nascitur ordo,
quemque, nefas, pulsum populis animisque videmus,
obsequium fidei meritosque feramus honores.
- 70 Ille diuturnae gustabit munera pacis,
qui sese agnoscens divinitus esse creatum
digna Creatori persolvat munera laudis.
Utque nequit fieri ut pax vera sine ordine surgat
sic sine justitia nec surget fulgidus ordo.
- 75 Illa jubet leges in publica commoda ferri
et libertatis sanctissima jura tueri.
Illa facit civos parentes legibus, illa
denique divitias, quas sevit in orbe Creator,
aequali trutina tribui conatur in omnes.
- 80 Non, si justitiae partes sunt condere normas
ordinis illius quo pax suffulta renidet,
omnia justitiâ metiri convenit artâ.
Saepius ingrato clauduntur lumine vero
nec spectare valent aliorum jura libenter,
85 saepius aequanimis obdurant vocibus aures.
si fraternus amor rigido non additur aequo.
O, si mortales, positus horrentibus armis,
hoc inter sese tenero jungantur amore!
alma quies animi succedet tristibus iris,
90 adversis studiis operum concordia discors,
implacidis odiis oblivio mutuae culpae,

nudaque mordaci curae fiducia mentis.
 Sol radians pacis tum denique surget in orbe,
 cuius ad exortum, ceu nubila grandine feta,
 95 horrida diffugient agitato examine bella.
 Jam subeunt animo, velut atro sumnia visu,
 illorum turbae quos bellum more bidentum
 cogit in incertum patria laribusque carentes.
 It caelo matrum fremitus, dum dulcia plorant
 100 pignora, quae fatum maturius abstulit ipsis.
 Exoritur clamorque senum aegrorumque querela,
 qui, omni ope privati, aut capta moriuntur in urbe,
 aut sibi cum longa producunt funera vita.
 Adde puellorum vagitus, adde paventes
 105 militis instantis fugientes ora puellas.
 Nec te praetereat gemitus miserandus eorum
 quos profugit dulcis per hiantia vulnera vita.
 Saepe fit ut longa serie per strata viarum
 incedant profugi patriis de finibus acti.
 110 Sole sub ardenti strident volventia plaustra,
 sacra ferens praet longae cum veste sacerdos,
 haeret et in matris gremio flet parvula proles
 dum natu major sequitur non passibus aequis.
 Cum subito trepido misceri murmure caelum,
 115 aëriae naves circumvolitare superne,
 diffugere exsanguis pedites, illae agmine certo
 impetere et vasta profugos prosternere clade...
 Sed fuge, nec redeas, o belli tristis imago,
 inque —tuas sedes— barathrum te merge profundum!
 120 O Deus omnipotens, qui nullo concutis hoste,
 nullis credentes populos terroribus urges.
 Solve, precor, fines patriae formidine belli,
 quod genus humanum circumvolat umbra.
 Da laribus pacem, da animis, da denique nostro,
 125 quamvis immerito sua propter crimina, saeclo.
 Nubibus obscuris arcum depinge serenum,
 lumine qui claro terras illuminet omnes
 sitque datae pacis signum mortalibus aegris.
 Tunc apud humanos frondescet amoris oliva.
 130 inque suis foliis pacis formosa columba
 carminibus querulis assuescet ponere nidum.

ISIDORUS MAULEÓN

Nonis Decembribus, a. D. MCML. - Pampilonae.

Commercium epistulare

Andreas Avenarius Presb. Josepho Xylandro Gymnasiarcho S. D.

Anno igitur 1940, kalendis Martiis, e Via Templaria oppidi Embricae litteras ad me dedisti, quas toto hoc interjecto spatio notatas censorum bellorum duabus numeris sedulo custodivit involucrum illud, quae nobis mappa est epistularis, et non sine spe responsionis, quoad illic asservabatur. Et quoniam ex kalendis octobribus occupationibus curialibus liber his ipsis diebus, quidquid restabat epistularum, absolvere coeperam, tua quoque ex latebris emersit epistula, quae tamen toto decennio identidem ex reliquis chartis forma eminens oculos meos et animum ad se transtulerat.

Itaque illa epistula tam antiqua odysseam describens vitae militaris tuae, quae Embricam eras delatus: stare in sua sede Monachopratum et Vendalino-polim, audaciam tangis meae «impostationis», postremo de inveniendo nomine oribus Latinorum accommodato agis quo redderetur illud institutum quarundam tribuum Europaei cultus expertium, quod ab ethnologis germanice «Gruppenehe» appellatur. Quae tua est in eo genere diligentia, quid Fornarius, quid Silvius Romanus cogitarent, sollicitus es, et placeretne mihi «conjugium per stirpes» Romanii interrogas. Haec habe post tantum temporis intervallum: Ego, cum primum illud institutum barbarorum describi audissem, sic intellegebam, ut putarem certi alicujus caetus viros singulos sic in matrimonium ducere unam ex certi coetus feminis, ut simul omnium illarum feminarum viri essent, et vicissim mulieres nubentes uni viro ex illo grege toti gregi nubere existimarentur. Quod institutum tantopere abhorrens a Christianis rationibus, vicinum tamen aliis gentilium moribus ego «internubium» esse dicebam. Romanium contra, vel alium quendam hujus civitatis virum, memini aliam in sententiam interpretantem notionem nostrae «Gruppenehe» proponere matrimonium per stirpes. Verum postea cum illustri ethnologo, qui impraesentiarum in tua habitat Saravia, locutus sum, ut accuratius rem illam cognoscerem. Tum vero effectum est, ut mihi persuaderetur «Gruppenehe» non unius significationis esse vocem. Sibi ergo habeant docti suas notiones, ego interim «internubia» respondeo esse illa conubia, quae vel per greges vel per stirpes jungantur. Hortaris in epistula extrema, post vota paschalia, ut caverem attentius ab autocinetis. Quam recte monuisses cognitum postea est anno, nisi fallor, 1942, cum haud ita procul ab ecclesia duodecim Apostolorum dinamica birota pene quassata mihi testa est.

Habes ad antiquam epistulam. Nunc sunt, quae ex te quaeram, felici indagatore nominum. Tradita nuper mihi sunt quaedam folia de re pecuniaria, finanziariae tabulae, plenae vocabulorum illius generis priorum, quae ego utcumque Latine redderem. Tum me cerneris volutare lexica omnia mea, Latina, Gallica, Italica, Anglica, Germanica, ex quibus pontem esse sperare

liceret in qualiacumque nomina Latini coloris. Quorum nominum a me vel inventorum vel conflatorum nonnulla placuit tibi perscribere, ut a te vel probarentur vel significantioribus exploderentur. Itaque a me facta sunt:

Kontenplan,	<i>plan de cuentas,</i>	descriptio computationum et no-
Postscheckkonten,	<i>giros postales,</i>	gyri postales [minum
Banken, laufende Rechnung,	<i>bancos, cuenta corriente,</i>	mensae perpetuae calculationis
Banken, Anlagen,	<i>bancos, cajas de aborros,</i>	mensae pecuniae collocatae
Wertpapiere,	<i>valores mobiliarios,</i>	tituli pecuniarii
Bestände,	<i>efectivo,</i>	effectiva
Bücherverlag,	<i>teneduría, [?]</i>	bibliopolium
Schriften, steuerfreier Umsatz,	<i>acciones y obligaciones libres,</i>	periodica liberae venditionis
Schriften, steuerpflichtiger	<i>títulos de la deuda perpetua del es-</i>	periodica venditionis tributariae
[Umsatz,	<i>tado; acciones y oblig. tributarias,</i>	
Esloschene Rentenkaptalien,	<i>renta amortizada,</i>	cessatae pensiones sortium
Langfristige Schulden,	<i>deudas pagables a largo plazo,</i>	debita productae diei
Kurzfristige Schulden,	<i>deudas pagables a corto plazo,</i>	debita exiguae diei
Rentenzinsen,	<i>interés, intereses,</i>	pensiones redhibitoriae
Versicherungen,	<i>seguros,</i>	securitates, assecurationes
Etat,	<i>presupuesto (de gastos),</i>	ratio sumptuaria, — praesumptiva
		[dandi accipiendique compositio
Gesellschaft mit beschränkter	<i>sociedad limitada,</i>	consortium partitae sponsonis
[Haftung,		
Gesamtbelastungen,	<i>gravamen,</i>	cuncta onerum
Ausgegangene Rechnungen,	<i>salidas,</i>	rationes perscriptae
Ausstehende Forderungen,	<i>créditos,</i>	debita activa
Uebertrag,		transferenda, translata
Rückbuchungen,	<i>asientos (contables),</i>	transcriptiones
Bilanz,	<i>balance,</i>	activorum et passivorum compen-
Saldo,	<i>saldo,</i>	solidum [satio
Umsatz,	<i>cambio, venta,</i>	

Sudabam in eo quod esset «Umsatz», quippe qui ignorarem neque assequerem satis, quae huic voci subesset sententia. Cum autem videre viderem «Umsatz» dici quidquid caderet in computum et mutationes haberet, principio illa «operantia» dixi, postea «moventia» vel transitive vel intransitive dicere malui.

Hic tu, quem in re pecuniaria multo versatiorem esse oporteat me, ab eo toto genere commercii inter coenobii septa remotissimo, multo expeditius claris notionibus accommodatiores cognominationes reperies. Sed in antecessum velim monitum hoc nomen, quod est «Umsatz», non in unam accipi sententiam. Nam dixi supra venditionem liberam et tributariam. Et dicimus librum aliquem circumcirca celeriter divendi. Hic loquimur de «Umsatzgüter». Anne de illis bonis, quae sunt emptionis et venditionis? In quadam columna illarum tabularum est: «Umsatz der Aktiva, Umsatz der Passiva, Umsatz des Aufwandes, Gesamtumsatz»; Ego audacter: «activorum, passivorum, sumptuum *motus, motuum* summa». Ridicule fortasse sic, sed illi demum rideant, qui attulerint, quae habuerint magis propria. Vale. Fortunata sint tibi et tuis Christi natalicia festa. Ex urbe Roma, pridie kal. dec. anno MCMLI.

Bibliographia

M. VERHEIJEN. — *Eloquentia pedisequa. Observations sur le style des Confessions de saint Augustin.* «Latinitas christianorum primaeva», t. X; Nimègue, Dekker et Van de Vegt. 1949.

En altius ad altos multos libros de bibliographia Augustiniana. Hac de re multi varilque adhuc scriptores egerunt: M. Verheijen in hoc opusculo de stilo libri «Confessionum», ut tales, solummodo disputare intendit

Diversae quidem, eaeque minutissimae res, de quibus aëute agit, circa egregium «Confessionum» librum, ut: De frequenti parataxeos usu, de conjunctione vocum per particulam *et*, de dispositione initiali verbi, cet. Atque multa in genere, ut scriptoris fert sententia, quae in stilo atque tenore scribendi Sancti Augustini animo advertuntur, originem e lingua Haebraica translationibusque Evangelii litteralibus ducunt.

Hic igitur liber valde erit utilis ad melius cognoscenda antiquiora Ecclesiae litteraria monumenta. Intima quoque in libro analysis theologica et philologica de sensu verborum «confessio» et «confiteri» instituitur, quae minime ingenio et acuitate caret. Enimvero, sedulo curavit M. Verheijen ut certam ostenderet coordinationem inter formam operis atque ejusdem contextum. Quod est unum profecto ex principis, quae investigationem stilisticam regere debent. Commendatur etiam liber ex uberima bibliographia allata quae ad Sanctum Augustinum spectat.

G. CARDINALI. — *Le origine di Roma.* Roma, Istituto di Studi Romani, 1949.

In civili festo annuae commemorationis diei natalis almae urbis Romae, die 21 mensis aprilis anni 1948 in «Campidoglio» habita, lecta in aula Horatorum et Curiatorum est brevis haec mo-

nographia de origine atque natalicia hora urbis Romae. In ejus cursu facile ponuntur ante oculos mythi duplicis traditionis de origine Romae: traditio nempe Latina atque traditio Graeca.

Traditio quidem Graeca de adventu Aeneae in Italiam ac de ipsius gestis fusius agit. Intenditque genti tribuere Graecae initia civitatis Romae. Juxta eam traditionem, ad duodecimum saeculum ante Christum essent initia constituenda. Traditio vero Latina, eaque magis sapientibus comprobata, originem Romae adscribit heroi eponymo Romulo; sicque commode initia Urbis constitui possunt ad annum 750 ante Christum.

Uno fere tractu atque jucunde totum hunc perleges libellum, qui adeo belle de populis utraque lingua utentibus agit, Graeca et Latina.

MARCEL HOMBERT. — *Lysias. Choix de discours.* Office de Publicité, S. C.; deuxième édition, 1947 Bruxelles, 36 rue Neuve.

Quod ipse libelli titulus refert, de nova hic agitur collectione orationum Graecarum Lysiae oratoris. Inque pulcro libello invenies brevem notitiam cum de laboriosa vita tum de operibus Lysiae, egregii Atheniensis, una cum praecipua de re bibliographia. Introductio vero atque historia de re publica temporibus Lysiae, magni quidem est momenti ad orationes Logographi Atheniensis rite intellegendas. Non nullae quoque adduntur notitiae de oratione ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου. Excellens est dictionarium historiae, in quo leguntur atque enodantur technica hujus collectionis nomina. In hoc opere expuncta est oratio contra Nicomachum, auctoritatis certe dubiae. Exhibentur vero hae quattuor orationes: Contra Eratosthenem, Contra Agoratum, Pro Mantitheo, ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου.

Haec Lysiae orationum editio percommoda est ex locutione nitida ac paedagogica, ut ajunt, alumnis mediae instructionis. Prae primis pars grammatices et exegetices admodum accurata, neque frequentes desunt textus explanationes, quae quidem faciliorem reddunt sensum oratoris. Orationum autem Lysiacae textus ille est editionis Gernet-Bizos, qui non nullas fortasse lectiones haud omnino fortunatas offeret. Libellus typographice est prorsus accuratus.

IGNACIO ERRANDONEA, S. J. — *Epitome de Gramática Griego-biblica*. Barcelona. Eugenio Subirana. S. A., 1950.

Quattuor exstant jam editiones hujus libelli in urbe Roma exaratae. Quod quidem satis probat, quantus ejus fuerit in bibliographia exitus, idque non immerito, cum a calamo procedat Patris Errandonea in classica philologia magistri et quondam professoris linguae Graecae-biblicae in Universitate Gregoriana.

Nunc vero in vulgus appareat prima haec editio Hispana, quam aliae certe, in dies, consequentur. Haec libelli editio commoda scilicet nostratibus, qui operam linguae Graecae-biblicae in seminaris institutisque religiosis navant. Ac re ipsa iis praesertim ab scriptore dicatur, qui in studiorum cursu theologorum gradibus academicis ornari atque decorari contendunt.

Est liber parvae quidem molis; eidem vero nihil deest necessarii alumnis et studentibus qui jam callent Graecam linguam classicam, quique praecipua discere linguae Graecae-biblicae desiderant. Eoque editio haec Hispana praerimis aestimanda, quod versio Latina Vulgata cuilibet exemplo syntactico subdatur. In non nullis quoque locis in melius opus redditum est, quo faciliore pacto cultoribus Sacrae Scripturae inserviret. Plausus maximi Patri Errandonea, ut de Latina, sic etiam de Graeca lingua bene merito, impertiendi. Atque domus editrix pontificia Subirana sibi alium de arte typographica triumphum

egit, in accurate edenda hac Grammatica linguae Graecae-biblicae, quam toto pectore lectoribus evolvendam commendamus.

SEVERYNS A. — *Homère. I Le Cadre Historique; II Le poète et son Oeuvre; III L'Artiste*. Bruxelles, 1944, 1946 y 1948.

Hoc in tribus commodis et iis scitis libellis opere, documentis de re bene pleno facilisque quidem lectionis, notiones illae studiorum Homericorum in vulgus referuntur, quae nostris probationes temporibus a magistris haberi solent.

In primo igitur volumine operam clarus scriptor navat fundo poematum Homericorum historico, innixus scilicet disciplinae Archaeologiae recentioris, a quibus in conscribendo minime recedit, certis normis atque regulis.

In altero autem volumine et de «anachronismorum» ancipiti quaestione, et de linguae epicae ratione et de arte metrica erudite, quod assolet, disserit. Inbique accuratum dictionis «formulariae» dictae studium egregius Professor suscipit.

In tertio denique operis volumine de mira arte scientiaque Homericam in litteraria compositione de ipsiusque stilo fuse disputat; dilucide quoque agit scriptor de usu rei epicae superiorum Poetae aetatum atque de ejusdem in ea re mutationibus. Haec omnes pariterque sunt quaestiones diebus nostris a sapientibus admodum agitatae in tradendis colendisque humanioribus litteris.

Toto in opere A. Severyns sancte tenet placita hodie magis probata: est quasi «unitarius» traditionem per longam poeseos epicae processisse poetae Homero aestimans. Quod quidem efficit ut, cum ipsa Poetae lingua tum ambitus culturae quem describit, sit tanquam commixtio quaedam archaismorum elementorumque recentium fere inexplicabilis. Valde lectoribus «PALÆSTRAE LATINAE» omnibusque litterarum cultoribus hoc vere «classicum» opus commendandum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarraegae in Ilerda Prov.